

D E  
V N I O N E

PROLIVM. TRACTA-  
TVS NOVVS ET APPRIME  
VTILIS, IN QVO OMNES FERÈ

Quæstiones quæ ad illam materiam perti-  
nent, legibus & rationibus Iuris validissu-  
mis probantur & pertractantur, distin-  
ctus in decem capita, quorum indi-  
cem sequens monstrabit  
pagina.

A V T H O R E I A C O B O R I C K I O  
*ab Artwensler, sacrarum Legum Licentiate,  
Collegij Iuris Coloniensis Diçatore.*

*Ecclesiast. 25.*

In tribus placitum est Spiritui meo, quæ sunt  
probata coram Deo & hominibus, Concordia  
fratrum, & Amor proximorum, & vir ac  
*mulier sibi benè consentientes.*



COLONIAE ACRIPPINAE,  
Apud Ioannem Gymnicum, sub Mono-  
cerote, M. D. LXXX.  
Cum Privilegio Cæs. Maiest. ad sexennium.

CLARISSIMO CON-  
SULTISSIMO, AC MULTI-

IVGA RERVM SCIENTIA CONSPI-  
cuo viro, Godefrido Salisf. / I. C. Reuerendissimi  
Archipraesulis Colonienf. Principis Electoris, &c.

Consiliario prudentissimo, domino suo, patrono  
atque cognato omnibus modis observando,

Jacobus Rickius perpetuam precatur  
felicitatem.



Riscorum mo-  
numentis apud  
plerosq; omnes  
qui lucubrati-  
ones suas sub in-  
signis alicuius vi-  
ri nomine & pa-  
trocinio in lucē

edere omnibus viribus conantur, in  
consuetudinem abiisse accepimus, vt  
tam scriptionis, quàm maximè verò  
dedicationis suæ causas iustissima ex-  
pendant trutina clarissime & consul-  
tissime D. cognate, id mihi negotium  
neq; vulgare, neq; omniū intellectui  
expositum aggressuro, sed obscuram,  
inuolutam, & planè nouam vnionis  
prolium materiam sub tua potissi-

† 2 mùm



# PRÆFATIO AD LECTOREM.



OLENNE est, Lector beneuole, omnibus ijs qui quid in lucem primum dāt, vt prius quā ipsum illud quod propositum est, aggrediantur, accedentem lectorem præfatiūcula quadam, & de ratione instituti, & de

modo eiusdem instruant, quod cū ab ijs qui summas apud summos tenuerunt, factitatum videamus (quorum tamen nomen solum stimuli satis lectoribus attulisset) meritam reprehensionem doctorum hominum vix me, hominem, vt ita dicam, nouum deuitare posse sentiebam, si hac tritissima via non procedens, illotis, vt Iureconsultus alibi ait, manibus protinus materiam ipsam tractatam, atq; vt Horatius cecinit:

*In medias res*

*Nos secūs ac notas auditorem rapit.*

Sic ego materiam nouam, quæ stylum necdū experta est, sine præfatione, tanquam omnibus cognitam proponerem: Quare paucis referam quibus occasionibus & rationibus essem adductus, vt hoc onus humeris meis, licet imparibus, imponi paterer, quas lectori candido satis arbitror facturas, de maleuolorum

rum

# DE VNIONE PROLIUM,

Von Einkindschafft/ TRACTA.

TVS NOVVS ET APPRI-  
mè utilis.

## CAPVT I.

Vnio quot modis sumatur, & quo  
significatu hic accipiatur.

### SVMMARIA.

- 1 *Verborum in iure ratio habenda.*
- 2 *Agri diuersi sublatis terminis dicuntur vniri.*
- 3 *Beneficia Ecclesiastica vnione iunguntur.*
- 4 *Castra, iurisdictiones dicuntur vniri.*
- 5 *Actiones plures dicuntur vniri.*
- 6 *Animi hominum dicuntur vniri.*
- 7 *Vnio Margaritam significat.*
- 8 *Vnio quomodo in hoc tractatu capiatur.*
- 9 *Exemplis illustratur descriptio vnionis.*
- 10 *Synonimum vnionis, parificatio.*



VIA confusionem sæpè parit, & ob-  
scuritatem ignota verbi rerum, de  
quibus agendum, significatio, ordi-  
narium duximus, varias huius ver-  
bi acceptiones præmittere, atq; tunc demum,  
quo sensu hic accipiatur proponere. † Ne-  
glectus enim verborum parit rerum incerti-  
tudinem, rursus incertitudo neglectum, vt  
tandem neque res, neque verba teneamus: vt  
non minus prudenter, quàm verè Ioann. Ol-  
den. Classe 4. Actione Mandati. 24. in prole-

△

gominis